

1629

P O L E M I C I.

1630

pellaretur, *Sermonesque* nostri ad illum pertineant.

VII. fol. 193. *Sermones breves in Ferias Quadragesimales et Festum Paschatis* inscripti: *Incipit Anglicus In capite Jejunij.* Initium: *Conuertimini ad dominum quoniam benignus et misericors est. Ioel. 2. Quoniam secundum decursum temporum omnia conuertuntur in hoc tempore &c.* Difficile est inter tot *Anglos* *Sermonum* *Scriptores* *Autorem* *dispicere.* *Seculo* *saltem* *XIV.* *vixisse,* *ipsa* *manus* *Codicis* *evin-*
cit.

Adscriptum est ad calcem *Decretum* quoddam *Episcopale* *fine* *die* *et* *consule* *de* *Numero* *Dierum* *festorum* *et* *Jejuniorum* *observando,* *in* *quo* *cum* *bis* *Rupertus,* *semelque* *Virgilius* *memoretur,* *Sedi* *Salisburgensi* *ad-*
tribuendum *censeo.*

Ad compingendum *Codicem* *utrinque* *adhibita* *est* *Membrana* *a* *Codice* *Hebraico,* *qui* *folii* *forma* *fuisse* *videtur,* *avulsa,* *in-*
signis *vetustatis,* *literis* *ad* *modum* *Germanorum* *formatis,* *luculentis* *et* *punctatis,* *unde* *Specimen* *quoddam* *Adhortationis* *seu* *De-*
precationis, *quae* *novum* *παραγγελιασφον* *orditur,* *adscribam:*

מְבַנִּים רַחֲמִים הַבְּנִים רַחֲמֵינוּ
לְפָנֵינוּ בְּעַל הַרְחָמִים מִשְׁמִיעַ
תְּפִלָּה הַשְּׁמִיעוּ תְּפִלָּתֵנוּ לְפָנֵינוּ
שׁוֹמֵעַ תְּפִלָּה מִשְׁמִיעַ צְעָקָה
הַשְּׁמִיעוּ צְעָקָתֵנוּ לְפָנֵינוּ שׁוֹמֵעַ
צְעָקָה מִבְּנֵי דְמַעַת הַבְּנִים

VI

D d 3

דְּמַעַתֵּינוּ לְפָנֵינוּ מֶלֶךְ מִתְמַנֶּה
בְּדַמְעוֹת הַשְּׂתַדְּלוֹ וְהַרְבּוֹ
תְּחִנָּה וּבִקְשָׁה לְפָנֵינוּ מֶלֶךְ אֵל
רַם וְנִשְׂא הַזְּכוּרִים לְפָנֵינוּ וְהַשְּׁמִיעוּ
לְפָנֵינוּ תּוֹרָה וּמַעֲשִׂים טוֹבִים שֶׁל
שְׂכָנֵינוּ עָפָר •

Quasi dicas: *O, qui colligitis miserationes, colligite miserationes nostras ante faciem Domini miserationum! Qui offertis preces, offerte preces nostras ante faciem Audientis preces! Qui offertis clamorem, offerte clamorem nostrum ante faciem Audientis clamorem! Qui colligitis lacrimas, colligite lacrimas nostras ante faciem Regis numerantis lacrimas! Contendite et iterate supplicationem et postulationem ante faciem Regis Dei excelsi et elevati! Repraesentate ante faciem Ejus et offerte ante faciem Ejus legem et opera bona habitantium in pulvere. Quae eleganter Hebraice expressa ad Angelos dirigi videntur.*

CCCCXXI.

Codex chartaceus lat. Sec. 476
XV. Folior. 264. 4. currente calamo perscriptus, olim *Augustinensium Ratisb.* ad Religionis negotia in *Bohemia* pertinet, et completitur *Sequentia:* *I. Consilia doctorum Pragensium ne articuli Johannis Wycleff prohibiti et condemnati teneantur.* *Initium: Quia fundamentalis unio Christianorum est, quod omnes sint unanimes in fide &c.* Renovatur de mandato

1631

I C O D I C E S

1632

mandato Regis *Wenceslai* cum consensu Archiepiscopi, Capituli *Pragen.* et aliorum Capitulorum sub poena exclusionis a Regno Prohibitio *Articulorum* infra scriptorum dudum, ut dicitur, a tribus famosis et magnis communitatibus, utpote universitate studii *pragen.* tota natione *Bohemorum* ejusdem studii, et facultate *Theologica* praedicti studii damnatorum. Sequuntur igitur *Articuli XLIII. Job. Wicleffi*, non prorsus iidem, quos recitat *Job. Cochlaeus Hist. Hussit. Mogunt. 1549. L. I. p. 9. f.* et *Bulla Martini V. T. XVI. Collect. Concil. edit. Venet. col. 756. f.* Hos excipiunt VI. alii, qui lenius *Magistro Johanni Hufs* ascribi dicuntur, et contra Papam, Traditiones, Reliquias, Absolutionem sacerdotalem &c. directi sunt. Tandem subscribitur: *Anno domini MCCCCXII. die dominico ante festum Sancte Margerethe Super scripti articuli lecti sunt in mendico* (*Bohemis Žebrak*, civitas in Provincia *Beraunensi* non procul ab Arce *Tocznik*, in qua *Wenceslaus* degere amabat) *per honorabilem virum Magistrum Sigismundum protbonotarium maioris ciuitatis Pragen. coram consilio domini Regis scilicet domino Wenceslao patriarcha Anthioceno* (cognomine *Kralik* Episcopatus *Olom.* Commendatario) *domino Conrado Archiepiscopo pragen. &c. presentibus etiam consulibus et iuratis maioris, minoris et noue ciuitatis pragen. Et postea de mandato Regis prage in pretorio co-*

ram communitate lecti et prohibiti. Triplicem illam supra memoratam Damnationem ad an. 1408. refert *Cochlaeus cit. p. 11.* E nostra praesente liquet, *Wenceslaum* hoc saltem anno *Hussi* patrocinium non suscepisse, quod innuit *Zach. Theobaldus c. 6. Belli Hussit. edit. Francof. 1621. p. 10. f. Conradum Westphalum* jam anno 1412. Archiepiscopum *Pragensem* dici, mirabuntur aliqui, Scriptoribus passim adferentibus, illum anno primum 1413. notam illam cum *Albico* fecisse *versuram*, sed *Proc. Lupacius*, qui eam ad an. plane 1411. retrahit in *Ephemerid. ad d. XVII. Jul.* addit: esse apud quosdam et de anno et de die variationem seu potius discrepantiam.

II. fol. 3. p. 2. *Consilium venerabilium doctorum sacre Theologie studii pragen. pro expurgatione infamie de regno.* Initium: *Quia serenissimus princeps et dominus Wenceslaus &c.* Legitur apud *Cochlaeum cit. p. 44.* sed aliquanto prolixius; nobis enim desinit in ea verba: *Et iuxta illas doctrinas fideliter et manifeste cognoscerent se sentire et credere.*

III. fol. 6. *Secuntur rationes et motiua reprobacionum. 45. Articulorum Super scriptorum Wycklessi et sequacis sui Johannis husereticorum.* Ponuntur singuli Articuli subijciturque singulis refutatio, confecta 1415. *Constantiae* in Concilio, quae legitur jam *T. XVI. Concil. edit. Venet. col. 846.*

IV.

1633

P O L E M I C I

1634

IV. fol. 23. p. 2. Instrumentum, quod incipit: *In nomine Domini Amen. Anno natiuitatis eiusdem MCCCCXII. Indiotione 5. Die 3. mensis Marcij hora terciarum uel quasi, Pontificis sanctissimi in christo patris et domini nostri domini Iohannis diuina prouidentia pape 23. Anno 2. In maiore ciuitate Pragen. In Cappella sanctorum Innocentum Bethleem nuncupata, in Camera Comodi Habitationis venerabilis et scientifici uiri domini et magistri Iohannis de Hussynecz Dicte Cappelle uerbi dei predicatoris In mei notarij publici infra scripti et testium presencia subscriptorum ad hoc specialiter uocatorum et rogatorum Constitutus presbiter pre-nominatus dominus et Magister Iohannes de Hussynecz quandam scripturam in papiro scriptam declarationem certorum dubiorum in se continentem in manibus suis tenens mihi notario infra scripto et honesto viro Andree de Myslybozczicz Olomucen. Dyoc. clerico membro alme vniuersitatis studii pragen. tradidit et assignauit. Quam scripturam prefatus Andreas transcribi copiarum transsumi et in publicam formam redigi peccit per me notarium publicum infrascriptum quo eidem scripture maior fides adhibeatur. Cuius tenor per omnia de verbo ad verbum sequitur et est talis. Quia dubitantibus sanum est consulere &c. Atque hic sequuntur Tria Dubia illa de Fide in Papam, de Necessitate Confessionis Sacerdoti faciendae, et de Mente PP. circa salutem*

Aliquorum e Populo Pharaonico et Sodomitico, quae leguntur in *Hist. et Monum. Job. Hussi* edit. recent. 1715. P. I. p. 208. f. titulo: *Tractatus de tribus Dubiis factis in Holomutz, quae idiotae asserunt pro vero et tanquam fidem. Anno MCCCCXII.* Nihil in Cod. nostro de Olomucio, quem admodum in Impressis nihil τὸν παρρησιῶν, quae partim hic jam dedi, partim mox daturus sum. Responso Hussi ad praedicta Dubia in Cod. contractiora sunt, quam in Impress. ut adeo post traditum Instrumentum nostrum ea retractasse et ampliasse secundis curis videatur. Finis utrinque in verbis Apostoli: *Nolite iudicare ante tempus &c.* Tum Codex prosequitur: *Acta sunt haec Anno. Indiō. die. mense. hora. Pontifice et loco quibus supra. Presentibus honorabilibus et discretis uiris Dominis Martino de Praga arcium liberalium Magistro presbitero Petro de Sebekow et Iohanne oregl. licentiatis in artibus et alijs pluribus fide dignis &c. Et ego michael natus quondam Egidij de potvoranicz clericus olom. Dyac. publicus &c. Cetera uide, si lubet, T. IV. Thes. Anecd. Pezii P. 2. p. 425. ubi totum Instrumentum Codici nostro conforme legitur. Cochlaei, qui et ipse L. I. p. 24. priora Instrumenti recitat, sententia, Hussum ad diffundendas Opiniones suas autoritate Notariorum usum fuisse, conualescit ex Opusculo sequenti.*

V.

1635

C O D I C E S

1636

V. fol. 25. p. 2. *Traëtatulus*, ut e calce praeoccupo, *dictus Antibuſſi*. Additum ibi alia manu: *Magiſtri Steffani*, ut puto, *Palecz in theologia Doëtoris*. Errant, qui putant. *Stephanus Dolanensis* primum, tum *Olomucensis Carthufiae* Prior autor est, qui accepto supra memorato *Instrumento* ad refutanda *Huſſi* super *Tribus Dubiis* Reſponſa ſe adcinxit. Impreſſa haec Reſutatiō legitur *Pezii* T. cit. p. 363. quocum *Codicem* contuli. In praeuia ad *Stanislaum de Znoyma* ceterosque Doëtores *Pragenſes* Epitola, quae incipit: *Reuerende Magiſter. Peruenit ad manus meas cuiusdam instrumenti copia &c.* *Stephanus* noſter non quidem *Cartuſienſem*, ut in Impreſſ. ſed tamen *Fratrem* ſe dicit, quod in *Paleczium* non conuenit, qui, cum praeterea *Pragae* degeret ipſe, opus non habuit, ut ad Collegas literas daret. Unde emendandus *Cochlaeus* L. I. p. 27.

VI. fol. 56. p. 2. *Secuntur articuli contenti formaliter uel ſententialiter et elicitiue in traëtatu Huſſi Pragen. quem intitulauit de eccleſia*. Duplex eſt Series. Prior incipit: *Nullus preſcitus eſt uerus papa &c.* Conſtat *Articulis* XXII. et ſubſcribitur: *Sub correctione hec doctrinaliter poſita ſunt uelut in tranſitu. Johannes de Gerſano Cancellarius Paryſ. indignus*. Tempus confeſſionis conſtat ex *Art. 17.* ubi dicitur: *Temporibus iſtis ſcilicet Anno domini MCCCCXIV. &c.* Extant

hi *Articuli* etiam in Opp. *Huſſi ſupracit.* p. 29. ſed numero XIX. Altera Series XXXIII. *Articuli*. incipit: *Eccleſia katholica ſeu uniuerſalis &c.* Legitur haec *Cochlaei* L. III. p. 118. et ab *Alano* Ep. *Leonenſi* extraëta dicitur, de quo praeter ea, quae *ibid.* leguntur, nil reperiō, niſi T. XVI. *Concil. Labb. edit. Venet. col. 323.* Nomen inter eos, qui iurauerunt approbationem *Capitulorum Narbonenſium*, *Conc. Conſtant. Sefs. XX. 1416.*

VII. fol. 60. Incipit *Traëtatus Magiſtri Stanislai de Eccleſia*. Sic: *Quia miſticum et eccleſiaſticum compoſitum tocius eccleſie per orbem terrae diſfuſum &c.* Finit: *Vnde obedientia plus ualet quam omnes ceterae uirtutes morales. Hec ille. (nempe Auguſtin.) Et ſic eſt finis huius traëtatuli de eccleſia editus per Magiſtrum Stanislaum de Znoyma. Wicleſſi et Huſſi* Scriptis eodem Titulo gaudentibus opponitur. Alium *Stanislai* noſtri ejuſdem Argumenti *Traëtatulum* ſed prolixiſſimum e *Cod.* vix amplius, ut ait, legibili *Carthufiae Gemnic.* memorauit *Bern. Pezium Diſſert. Iſag. ad T. IV. Theſ. Anecd. p. 13.*

VIII. fol. 67. p. 2. *Sequitur alius traëtatus de Eccleſia*. Initium: *Eccleſia ſex modis accipitur, Primo pro templo &c.* Finis: *et publice in eccleſia dicere non timemus. Hec ille. (nempe Hieron.)* Velitatio praecedenti gemina, cujus Autor reticetur, e *Cod.* tamen CCCCXXII. innotescit *Steph. Palecz.*

IX.

1637

P O L E M I C I.

1638

IX. fol. 72. *Sequitur tractatus de Indulgenijs.* Initium: *Primo scribit Apostolus I. Cor. 4. In christo ihesu ego vos genui &c.* Finis: *non catholicum sed hereticum comprobabit.* Neque hujus contra *Wicleffum* directae Scriptiunculae nominatur Autor.

X. fol. 76. p. 2. *Incipit tractatus magistri Johannis hufs de indulgenijs contra papam.* Vides Librario nostro Troes Rutulosque nullo discrimine agi. Initium: *Triplici re ad presens negocium urgeor, honore dei &c.* Ad calcem: *Explicit Questio Magistri Johannis Hufs de indulgenijs Johannis Pape XXIII. contra ladislaum Regem neapolis.* In Impressis Opp. P. I. Norib. 1715. p. 215. additur: *Disputata Anno Domini MCCCCXII. post Viti.*

XI. fol. 111. *Incipit tractatus Magistri Johannis Hufs de Sanguine Christi Ihesu domini nostri.* Initium Quaestionis: *Utrum christus omnem sanguinem qui de corpore suo effluxit in eadem hora resurrectionis glorificauit.* Rectius in Impress. cit. p. 191. in eodem corpore hora resurrectionis. Quod ibi in margine additur: *Hic libellus est saepius in Papatu recusatus, sed sine nomine Hus, mirum ni fefellerit Glossatorem Tractatus de Sanguine Christi Franc. Ruveri postea Sixti IV. Romae et Norimbergae Sec. XV. excusus. Nec certiora, quae ibi in fine p. 202. leguntur, adprobata scilicet Hufsi Determinationem per Universitatem et Archiepiscopum Pragensem Domi-*
Denis Codd. Theol. V. I. P. II.

num *Sbynconem*; Codex enim noster, fortasse coaevus, habet: *Ista questio est reprobata a domino Archiepiscopo et ab uniuersitate pragen. ante eius (Hufsi) destructionem;* qua voce Supplicium intelligi videtur.

XII. fol. 128. p. 2. *Sequitur posicio Magistri Johannis Hufs de ablacione rerum temporalium.* Initium: *Ad honorem omnipotentis Dei et domini nostri Ihesu Christi &c.* prout legitur edit. cit. p. 146.

XIII. fol. 146. *Sequitur posicio Magistri Johannis Hufs. De Decimis.* Initium: *Cum necessarium sit hominibus ratione uigentibus &c.* Legitur pariter edit. cit. p. 156.

XIV. fol. 151. p. 2. *Sequitur posicio Magistri Johannis hufs contra Johannem Stokes Anglicum.* Venerat hic Licentiatus in Legibus Cantabrigiensis Studii Pragae a. 1411. Legatus Regis sui Henrici IV. ad Sigismundum Rom. et Hung. Regem, ibique inter confabulandum dixerat: *Lectionem Librorum Wicleffi ad haeresin ducere. Ea propter, ut ait in Posit. praesenti Hufus, quidam Magistri assumpto Notario publico expresse an vellet — in illis verbis sistere, quaesierunt. Imo, ut ad calcem in Cod. legitur: magister Johannes Hufs vocauit predictum dominum Johannem Stokes ad cathedram per intimacionem publicam. Sed predictus — sibi per intimacionem respondit ut sequitur.* Adtextum ergo hic est *Stockii* responsum, in quo praemissa

E e

missa

1639

C O D I C E S

1640

missa adventus sui causa nempe *Ambasata* subdit: *si placet dicto magistro Johanni Hufs Baccalau- reum formatum in sacra pagina se pretendenti vel cuilibet alteri ex suis complicibus uel adherentibus in hac parte venire Parisius, uel ad Curiam romanam uel ad quodcunque aliud generale studium approbatum utrique parti indifferens et ibi aliqua determinare, protestor quod ero paratus ad defendenda mea dicta &c.* Haec *Dicta* deinceps subjungit, quae repetuntur ab *Huffo* in *Posit.* ut habes edit. cit. p. 135. ubi tamen abest *Intimatio Stockii*, sub cuius finem *Adversariis* expensae in iter promittuntur. Ordo rei postulasset, ut *Intimatio Positionem* in *Cod.* praecederet. *Stockium* nostrum deinceps *Constantiae* testem aduersus *Huffum* comparuisse, apud *Cochlaeum Hist. Hufs.* L. III. p. 116. et in *Gebb. Dacherii* Catalogo T. XVI. *Concil.* edit. *Venet. col.* 1419. et 1422. video. Manserit videlicet alta mente reposita vis, certe non amica, *Pragae* facta. Vide mox infra.

XV. fol. 159. Sequitur *positio Magistri Jacobelli* (de *Miza*) discipuli *Magistri Johannis Hus.* De *Articulo*, ut e calce praecipuo, scilicet *Ditare clericum est contra regulam christi.* Est hic *Articulus* numero 32. inter *Wicleffianos* ab *Academia Pragena* examini subiectos, quem sibi *Notter* defendendum sumsit. Inchoat: *Suppono quod regula christi in proposito vocetur veritas vite et doc-*

trine christi &c. Qui de *Jacobelli* *Scriptis* egere apud *Fabric. Bibl. med. Lat. L. IX. p. 14.* nostrum istud ignorasse videntur.

XVI. fol. 172. Sequitur *positio Magistri Johannis de Articulo* scilicet *Nullus est dominus civilis, nullus est prelatus, nullus Episcopus dum est in peccato mortali.* Initium: *Articulus tria continet &c.* Est is *Articulus* numero 15. inter *Wicleffianos*. Nobis definit in ea verba: *apparebit finaliter sanctis omnibus gloriosus.* Et rite quidem; quae enim in *Impress.* p. 167. sequuntur, jam ad alium *Art.* videlicet IV. pertinent. Eorum loco in *Cod.* adtextus est ingressus ad defensionem *Articuli XVIII. de Decimis*, quae habetur in *Impress.* p. 156. *Cum sit necessarium hominibus ratione vigentibus &c.* sed tantum usque ad verba: *de quorum numero de Decimis est tractandum.* Integram supra indicavi N. XIII.

XVII. fol. 187. p. 2. Sequitur *Determinatio unius Doctoris venerabilis parisiensis habita prae contra wycleffistas.* Ita quidem *Ἐπιτελεσθη*, sed ad calcem doctor hic audit *Johannes Stokes Anglicus*, cujus *Intimatio* supra N. XIV. occurrit. Itaque vir hic, dum *Pragae* legationis causa moraretur, pluribus interpellantibus adductus in arenam tandem descendisse videtur. Disputationis initium est ejusmodi: *Inter alia disputata ex tempore haec questio versabatur, utrum viris ecclesiasticis seu clericis liceat aliquid possidere. Vbi una pars tenebat,*

1641

P O L E M I C I.

1642

bat, non esse licitum seu disputationis gratia, seu quod ita sentiret. Alia defendebat esse licitum id quod a quingentis annis et amplius ecclesia de fide habuit. Primo ponam allegaciones prime positionis, 2° allegaciones contrarias, 3° primas allegaciones dissoluam quantum sine librorum studio cursum facere potuero. &c. Idem innuit post Tractat. medium: *Et hac materia longiorem tractatum exigeret, quam tempus presens peregrinantem et libris carentem scribere permittat.* Quo magis mirum, tantum viro et Scripturae f. et Patrum ad partes suas tuendas usum adfuisse. Itaque Catalogis Scriptorum Angliae deinceps inferendus est.

XVIII. fol. 205. p. 2. Sequitur posicio Magistri Jacobelli discipuli Magistri Johannis Husi. De anticristo. Initium: *Utrum sicut ex scriptura plane constat christum in plenitudine temporis personaliter aduenisse ita euidenter sit deducibile ex eadem anticristum in complemento seculi propria aduenire in persona.* &c. Curiosa Differtatio calculis etiam chronologicis *Anticristum* in Pontificibus Romanis indagat. Nihil de ea apud Bohemiae doctae Balbini Editores, nihil apud Fabricium *Bibl. med. Lat.* apud quem, quod obiter noto, minus recte *Jacobellus* Communionem sub una perinde, ut *Joan. Hussus*, strenue impugnasse dicitur, cum *Hussus Jacobelli* Sententiam literis ad eum e carcere datis potius improbaverit, ut liquet e *Cl. Pel-*

zelii Hist. Bohem. vernacula p. 224. Ad calcem legitur: *Et sic est finis positionis magistri Jacobelli quam posuit sub Magistro Cziškone de anticristo maximo. Quis hic Cziško?*

XIX. fol. 220. Sequitur Tractatus Magistri Stanislai (de Znoy-ma) de *Anticristo*. Directus contra praecedentem. Initium: *Cum oppositorum suo tempore possibilitium nedum sit eadem disciplina sed et ipsa iuxta se posita magis elucescant &c.* Ad calcem: *Explicit — Editus Prage Anno domini M° CCCC° XIII°.* Contra *Jacobellum*. Indicatus jam ex hoc ipso Cod. a *Mansio* ad *Fabricii Biblioth.* p. 202.

XX. fol. 245. p. 2. Sequitur *Sermo Magistri Stephani palecz Sacre Theologie professoris contra duos articulos Wickleff.* Prior est inter XLV. numero 13. *Illi qui predicare dimittunt propter excommunicationem hominum sunt excommunicati &c.* Alter numero 34. *Licet alicui dyacono uel presbitero predicare verbum dei absque auctoritate sedis Apostolice uel Episcopi.* Leguntur etiam in calce ipsius *Sermonis*, qui incipit: *Si Spiritu viuimus spiritu et ambulemus, scribitur ad Galat. V. in epistola currentis ebdomade &c.* Habitus itaque hic *Sermo* est infra Dom. XV. post Pentecosten. Ignotus iis, qui de *Stephano* nostro tractarunt, quique, ut obiter moneo, non rite eum a *Stephano Dolanensi*, de quo supra N. V. distinxerunt.

E e 2

XXI.

1643

CODICES

1644

XXI. fol. 258. Sequitur sermo Magistri Stanislai de Znoyma sacre Theologie professoris contra quinque articulos Wyckleff condempnatos. Sunt hi Articuli e XLV. numero 15. Nullus est Dominus civilis &c. 16. Domini temporales possunt ad arbitrium &c. 18. Decimæ sunt meræ Eleemosynæ &c. 33. Sylvester Papa et Constantinus &c. et 32. Ditare Clerum est contra regulam Christi. Initium Sermonis a proluxa invocatione Virg. Mariae: Ave Maria virgo cunctas hereses sola interemisti &c. Ad calcem: Isti duo sermones sunt predicati ad clerum per duos doctores contra VII. Articulos Jo. wy. condempnatos quos Jo. Hus in scolis publice defendit et dogmatizavit. Et Scriptoris παγεγον: Eya ecce Ihesu explicit totum, Infunde da michi potum, Istum potum puto de quo canimus Infunde unccionem tuam deus clemens nostris sensibus. Adparet ex toto hoc Codice, quantum pro Suggestu tam sacro, quam scholastico ventilatae sint in utramque partem adlatae ex Anglia Sententiae. Varia, quae continet, cognoscendae penitus toti Controversiae opportuna lucem nondum videre, quamvis non sperandas ad Historiam five ecclesiasticam, five literariam accessiones praestitura.

CCCCXXII.

522 Codex chartaceus lat. boh. Sec. XV. Folior. 275. 4. a diversis congestus ad Turbas Hus-

fiticas in Bobemia pertinet. Occurrit in eo: I. Proposicio facta in Curia Romana coram papa (Joh. XXIII.) contra Wycleffistas Anno domini M^o CCCCXIII^o. Mense decembri. Initium: Beatissime pater patrum Iustissime ac clementissime princeps. Cum quilibet Orthodoxus firmissime tenere debeat et nullatenus dubitare, omnem hereticum uel scismaticum cum dyabolo et angelis eius eterni ignis incendio participandum &c. Memorantur deinceps introducti in Regnum Bobemiae et Ecclesiam Pragensem per lectionem librorum Wycleffi errores, eorumque praecipui adseclae nominantur Job. Hus, Job. Jessenicz, Sdislaus de Wartenberg, Jac. de Miza, Procop. de Plzna et Marcus de Grecz Regine. Sbinconem Archiep. autoritate Alexandri V. in praedictos Libros inquisivisse, eosque exussisse; Hussum cum suis contra Archiepiscopum ad Sedem Apostolicam adpellasse, et ut immorigerum a Card. Oddone Columnna subiectum excommunicationi, in qua per annum cum dimidio infordeuit, prout etiam infordeuit &c. Itaque petitur, ut Homines hi autoritate Sedis Apostolicae Haeretici declarentur, potestati Seculari beneficiis privati tradantur, loca, ad quae declinaverint, interdicto subjiciantur &c. Pontifices in hac causa saepius interpellatos fuisse, referunt quidem Historici; a quo vero profecta sit praesens interpellatio, an a Capitulo Metropolit. an a Parte Academiae, aliisve,